

dictis, quae area sita est inter aream Nickil dicti Claws et aream dictae dy Wythgynne, solventes annuatim viginti grossos in praedicto termino; item Kele Hanen habet unum hortum et aream sitam ex uno latere inter aream Henczschlini Webir et ex alio latere inter aream Petri dicti Smyt, solventem annuatim octo hallenses et unum pullum in praefato termino; item Katherina Greuynne tenet et possidet medium mansum in pago villae praedictae sito cum area attinente in villa praedicta inter aream Friczkonis Schuman ex uno latere et aream Adilheidis dicti Jans ex alio latere sita, solventem annuatim viginti grossos praeter VI hallenses, mediam peciam lini, quae clobe dicitur et unum pullum in praedicto termino; item Henczschil Cylner habet hortum in medio villae Ebirsbach praedictae, situm inter aream Arnoldi Tylemanni et Conradi Tusch, solventem annuatim octo hallenses in termino praedicto. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Actum in castro nostro Stolpin anno domini millesimo CCC^{mo}. LX nono in die beatae Barbarae virginis, praesentibus honorabilibus viris dominis Palberto cantore, Nicolao Monetarii canonico, Syffrido Hanfmus, Lutoldo de Stuternheim et Michaelle de Helwigisdorf, notariis nostris, vicariis perpetuis ecclesiae nostrae testibus ad praemissa vocatis.

Et nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum — consensum nostrum concorditer adhibemus, praesentibus sigillum capituli nostri in huius evidentiam praesenti paginae appendentes.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 602. 1370. 23. Mai.

Conrad Pruze Archidiacon der Lausitz veranlasst eine notariell beglaubigte Abschrift der Urkunde K. Wenzels vom 29. Nov. 1367. (No. 575.)

In nomine domini amen. Noverint universi, ad quos praesens pervenerit publicum instrumentum, quod anno domini millesimo ccc^o septuagesimo indictione octava pontificatus sanctissimi in Christo patris domini ac domini Urbani divina providentia papae quinti anno viii^o. xxiii^a. die mensis Maii paulo post vespere honorabilis vir dominus Conradus Pruze archidiaconus Lusatiae in ecclesia Missnensi, in camera dormitionis suae in mei notarii publici et testium infrascriptorum praesentia constitutus quandam litteram in pergamento conscriptam uno sigillo in pressula de pergamento facta inpendenti sigillatam exhibuit et produxit, requirens me notarium subscriptum, ut litteram eandem de verbo ad verbum nihil addendo vel minuendo fideliter transsumerem et in formam publici redigerem instrumenti. Cuius quidem litterae tenor sequitur in hunc modum: Nos Wenczeslaus — No. 575 — Andreae apostoli. Forma vero sigilli erat rotunda, de simplici cera alba facta et in pressulis de pergamento appensa, in quo quaedam imago regem repraesentans coronam in capite, in dextra autem ceptrum et in sinistra pomum gerens in solio regio sedere videbatur, in cuius medio septem scuta circum circa sculpta apparebant et in eius circumferentia hae litterae legebantur: Wenczeslaus quartus dei gratia Boemie rex Brandenburgensis